DE CRUCE CORTONENSI DISSERTATIO.



LIBURNI MDCCLI.

Ex Typographia JOANNIS PAULI FANTECHI ET SOCIORUM

DE SUPERIORUM FACULTATE.

ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. PRAESULI

FRANCISCO SYLVATICO
EX COMITIBUS GUIDIS
ARCHIEPISCOPO PISANO
ET CORSICAE ET SARDINIAE PRIMATI.

PHILIPPUS DE VENUTIS
PRAEPOSITUS LIBURNENSIS

εὐτυχεῖν.

Quum primùm ad te acceſſi, Praeſul Illuſtriſſime, tuamque comitatem humanitatemque propius ſenſi ac ſuſpexi, vehementi caepi flagrare deſiderio declarandi caeteris animum meum, ut admiratio tuarum virtutum, quae tacita ſub ſinu meo deliteſcebat, in propatulo erumperet, obſequiumque meum erga te, animuſque tuis beneficiis devinctus cunctis ubique pateret. Quumque vellem re & verbis hoc fieri, nec quid muneris quod acceptum gratumque foret Viro pietate inſigni, ac religione pollenti reperirem, continuò occurrit opus, quod natum ex ingenio meo, tuae aliquatenus conveniret dignitati; monumentum nempe ſacrum, mihi explicandum, tibique exhibendum, quo aequè deſiderio meo, ac tuo in Deum Optimum Maximum cultui ſatisfacerem. Cortona cariſſima mihi Patria illud ſuppeditavit, praeclariſſimum Chriſtianae devotionis in Sacroſanctam Domini noſtri Jeſu Chriſti Crucem argumentum. Tenue admodum ad te munus; ſed multum decoris ac ſplendoris a tuo Clariſſimo Nomine accepturum. Tibi enim maxime pergrata eſſe ſcio quae Chriſtianam redolent in Deum pietatem, & antiquitatis notâ egregiè praeſtant. Nam tu a rudibus annis Latinae & Graecae Eccleſiae hiſtoriam prae manibus habuiſti ſemper, & hoc Illuſtriſſimo generi tuo decus additum voluiſti, ut ſacrae & politicae doctrinae genus omne deguſtares, antea quàm ad eum quem jure meritoque locum occupas per gradus aſcenderes. Quibus adhuc deliciis animum paſceres, ni tantae Dioeceſeos negotiorum aeſtu quotidie abripereris. In obeundo enim munere tuo ſanctiſſimo totus omnino es,

& gubernacula celeberrimae Pisanae Ecclesiae sapienter, gnaviter, & summa cum omnium laude tractas & prudentissime dirigis. Quare ego laboris tui aliqualem in partem, Divinâ ita disponente clementiâ, adlectus, diu haesi, veritus ne in Religionis commoda peccarem, si meo te sermone morarer. Ab ipso tamen rei argumento animos sumpsi, quo Religio maxime fulget, prodigium nempe Divinae in homines charitatis quo Unigenitus Dei Filius nos Satanae obvinctos in hanc quâ fruimur libertatem vindicavit.

Primum igitur, Praesul Illustrissime, Crucis tibi ectypum exhibebo adjectamque Inscriptionem, imitato diligenter Archetypi charactere, & magnitudine. Supervacaneum putavi Hierothecam illam ubi Sanctissimae Crucis Phylacterium cluditur hic appingere. In Italia enim debito cum honore hujusmodi sacra custodiri nemo non novit. Hinc Cives mei generositate potissimùm pollentes, ex priscâ consuetudine & ritu, impensae nullatenus pepercerunt, & in operosissimâ Mole, undique argenteis Sigillis locupletatâ, & Emblematis & Anaglyphis pariter argenteis Sacram Veteris Testamenti historiam graphicè & elegantissime exhibentibus condecoratâ, carissimum pignus collocarunt.

Venio nunc, Illustrissime Praesul, ad argumentum quod mihi proposui, & de quo tecum verba conferre in animo est.

In

DISSERTATIO.

In Ebore insculptae posticae partis litterae, & anticae icones, ob vetustatem, ut solet, flavescente, indubiam Sacri monumenti testantur antiquitatem. Hinc de illâ plures illustres non minus doctrinâ quàm pietate viri honorificentissime sententiam retulerunt (*a*). Quâ de re audire est Franciscanorum historiographum Waddingum: „ Albertus Sartianensis, ait ille, ad Ethiopes & Indos ante biennium missus est, & „ Jacobinorum gentem numerosissimam (*b*) per Syriam, Mesopotamiam, „ Aegyptum, Aethiopiam, aliasque regiones late diffusam, a Jacobo „ Syro suae caecitatis auctore ita cognominatam, ad unitatem & veritatem fidei Romanae amplectendam solerter excitavit, & cum Legato „ ejusdem Gentis & Patriarchae Joannis, (*c*) Andrea Abbate insignis „ Monasterii S. Antonii in Aegypto (*d*), hoc anno appulit Anconam. „ Illuc missi ab Eugenio (*e*) qui honorifice Florentiam ducerent, & per „ urbes curarent recipi populorum gratulatione. Per Tusciam transeuntes, pervenerunt Cortonam, ubi populus universus obviam processit „ M. P. extra urbem, usque ad monasterium a Comitissa (*f*) nuncupatum. Atque inter eos Bernardinus Senensis, qui illuc forte moram „ trahebat valetudinarius, vectus umili asello, conspiciens Albertum pro „ Nuncii Apostolici dignitate, simul cum Legato, equo bene strato insidentem, & populum accurrentem ut vel fimbriam tangeret vestimenti, voce altâ clamavit: Frater Alberte, respice ad pedes; memento „ mortis; cave ne honores tanti plus aequo animum extollant. His commotus vocibus, & Bernardini sui Superioris excitus reverentiâ, confestim descendit Sanctum senem veneraturus, & rogaturus ut humile „ jumentum nobili equo permutaret. Renuit Bernardinus dicens, utrumque decere ita incedere; solum cavendum esse ne vana mundi gloria „ furtim irreperet, & tanti operis praemium evacuaret. Cui Albertus; „ in universis mihi oblatis honoribus ita semper oravi: Non nobis, Domine, non nobis, sed Nomini tuo da gloriam. Hujusce occursus & „ religiosae concertationis vestigium adhuc conspicitur, erecto in eo loco monumento (*g*), insuper adhibitâ utriusque Patris effigie. Praecedentibus autem populo, Confraternitatibus, & Clero, cum hymnis & „ canticis pervenerunt ad Coenobium Franciscanorum, ubi Albertus auctoritate Apostolica benedictionem solemnem impertiit, & Jacobinis

„ arti-

(*a*) Angelus Peruzzius Episcopus Sarsinatum & per Italiam Visitator Apostolicus magnifice locutus est de Cruce Cortonensi in Relatione facta die 23. Febiuar. an. 1583. quae Cortonae extat in Archivo Episcopali.

(*b*) Hi *Jacobitae* etiam dicti, Eutycheris haeresim profitebantur per totam Asiam. Jacob. de Vitriaco hist. Orient. lib. 1. c. 75.

(*c*) Ejusdem Epistolae sunt apud Labbe tom. 13. fol. 1201.

(*d*) De eo mentio est in Concilior. Tom. XIII. pag. 1201.

(*e*) Ab Eugenio IV. PP. Concilio Florentino praesidente.

(*f*) Nempe Mathilde celebri illa, a qua fundatum ferunt undecimo saeculo: est adhue in splendore nobile istud Gynaeceum.

(*g*) Destructa nostra aetate moles malo consilio est.

„ artificiosam Crucem, magno Dominici patibuli pretiosam fragmento,
„ Helenae Reginae, uti ferunt, opus, Fratri Eliae S. Francisci discipulo,
„ & immediato Successori dono datum Constantinopoli, uti alias diximus (*a*), ostendit. Illi legentes Characteres Graecos insculptos, in magnâ habuerunt reverentiâ, & a templi ostio usque ad Altare flexis genibus adoraturi processerunt. Quod & fecisse Antistitem quendam Hierosolymitanum narrat Rodulphus (*b*). Et virtute hujus Crucis Deum multa operari miracula, praesertim in fugandis tempestatibus, & restinguendis incendiis. Pisanus Auctor vetustior (*c*) refert, ignem Cortonensem urbem depascentem objectu hujus Crucis repressum & extinctum.

Longius fortasse, quàm par erat, locum hunc exposuimus, utpote qui plura quae Patriam historiam amplificant explicantque commemoret. Eximium quoque testimonium est Cl. Ducangii qui ex laudato Waddingo de Cruce Cortonensi, data occasione, verba habuit cum Constantinopolitanas Antiquitates investigaret: Si quidem Scriptor ille in *Familiis Byzantinis* ubi de Nicephoro Phoca loquitur pag. 126. edit. Venetae. Characteres omnes, hoc est integram *φυλακτηρίου* Inscriptionem exhibet, quamvis illam non archetypâ sed vulgari suum characterum formâ expresserit, variisque in locis aut omissâ voce, aut litterarum nexibus perperam expressis aberraverit. Nec reticendus Ughellius, qui in Opere suo de Italia Sacra quum de Ecclesia Cortonensi praet-ur, indictam Crucem nostram non reliquit. „ Ut autem, inquit, temporariis fortunis abundat, sic Spiritualibus non destituitur adjumentis; Reliquiis enim Sanctorum habetur perdives. In Cathedrali frustulum Dominicae vestis honorifice adservatur, ex dono Jacobi Vagnuccii Cortonensis quondam Perusini Episcopi, (*d*) qui illam a Constantiniano Patriarcha se dono accepisse narrabat, cum aliis pluribus Reliquiis. In Franciscano Templo ex Dominica Cruce parvulam effictam Crucem narrant adservari Cortonae, illamque eandem esse, quam Helena mater a se nolitam Constantino filio dono dedit, ut illâ munitus securius iret in hostes, illucque a B. Elia S. Francisci alumno ex dono Constantinopolitani Imperatoris, ad quem pro Federico Secundo Legatus profectus fuerat, fuisse illatam. Sed quum idem hoc ipsum de ligneâ Cruce dicant Nonantulani, & cum ipsis hactenus crediderit Italia tota, testanturque miracula crebra .... juvat credere Nonantulanum Constantinianum lignum esse, quod primus Abbas Anselmus a Pontifice dono accepit; Cortonense item de salutiferae Crucis ligno fuisse compactum,
„ illuc-

(*a*) Ad ann. 1221. num. 9. & 1239. n. 10.

(*b*) fol. 26.

(*c*) In celebri illo libro *Conformitatum B. Francisci cum Jesu Christo*, qui aeque ab Orthodoxis ac Haeterodoxis improbatur. Conformit. II.

(*d*) De hoc illustrissimo Patriae meae decore, omnique ex parte eximio Viro, viden-

, illucque a Fratre Elia fuisse allatum , ut Patriae suae saluti foret & , commodo.

At non fert animus in praesentiarum cum erudito in primis Viro, & industria sua bene de litteris merito de rebus hujusmodi acerrime dimi-

dendus Ughellius in Italia Sacra ad Episcopos Perusinos. Spectabilis ornatu moles, quam Praesul pientissimus ad servanda sacra lipsana extrui jussit, hanc in parte antica prae se fert Graecanicam Inscriptionem.

❋ ΕΓΩ. ΓΡΗΓΟΡΙΟΣ. ΕΛΕΩΘΥ.

ΑΡΧΙΕΠΙΣΚΟΠΟΣ. ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥ-

ΠΟΛΕΩΣ. ΝΕΑΣ. ΡΩΜΗΣ. ΚΑΙ.

ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΟΣ. ΠΡΙΑΡΧΗΣ.

ΜΕΡΟΣ. ΤΟΥ. ΙΜΑΤΙ. ΤΟΥ. ΚΥ. ΗΜΩΝ

ΙΥ. ΧΥ. ΤΩ. ΑΚΡΩ. ΑΡΧΙΕΡΕΙ.

ΝΙΚΟΛΑ. ΠΕΜΠΤΩ. ΔΕΔΩΡΗΜΑΙ.

ΟΠΕΡ. ΟΥΤΟΣ. ΑΥΤΘΙΣ. ΤΩ. ΤΟΥ.

ΠΕΡΟΥΣΙΟΥ. ΕΠΙΣΚΟΠΩ. ΙΑΚΩΒΩ.

ΟΛΟΚΛΗΡΩΣ. ΑΠΕΧΑΡΙΣΑΤΟ.

Id est

Ego Gregorius, miseratione Divinâ, Archiepiscopus Constantinopolis novae Romae, & OEcumenicus Patriarcha, partem vestis Domini Nostri Jesu Christi, Summo Pontifici Nicolaio V. dono dedi. Quam ipse postea Perusii Episcopo Jacobo integram largitus est.

Post Patriarcham Josephum II. qui Florentiae decesserat, Eugenius Papa omnem lapidem movit ut Graeci in Italia ei successorem darent. Quod Imperator, caeterique Orientales Praesules abnuerunt, uti testatur Sylvester Syropulus (*sect.* 20. *cap.* 14.) apud Le Quien (*Oriens Christ. pagin.* 307. & *seqq.*) qui ita de Josephi successore verba habet. Metrophanes Cyziei Metropolita ab Imperatore Johanne, & a Demetrio Despota, & ab reliquis Episcopis anno 1441. Patriarcha CP. renuntiatur. Hic quum Latinos ritus adprobaret, ob suscitatas turbas ab Schismaticorum partibus, munus dimittere coactus, in Cellam privatam se recepit, ubi prae maestitia morbo correptus vivere desiit anno 1443.

A Metrophanis obitu tribus elapsis mensibus Patriarcha factus est Gregorius cognomento *Mamma* & *Melissenus*, qui a Phranza (*lib.* 2. *cap.* 11.) *Strategopulus* quoque nominatur. Is Patriarchae *Protosyncelli* dignitate ornatus Florentinae Synodo interfuerat. At quum in Oriente dissidia in dies au-

micare: do quidem manus, nec fidenter adſero, certoque argumento probari poſſe contendo, Cortonenſem Crucem eam vere eſſe, quam Helena Conſtantino filio tradidiſſe fertur; quum norint qui in Eccleſiaſticâ hiſtoriâ hoſpites prorſus non ſunt iſtud ipſum Helenae matris in Conſtantinum amoris traditum pignus non bene liquere, multaſque pati controverſias apud eruditos, quae hujus loci non ſunt. Attamen ſi quis Graecam noſtrae Inſcriptionem Crucis, Ughellio certe obſcuram, qui de ipſâ Crucis Cortonenſis exſiſtentiâ male dubitat, conſideret, is inficias non ibit, caeteris omnibus quotquot uſque adhuc in conſpectu ſunt, antiquitate cognitâ ac probatâ praeſtare, quod inferius demonſtrabitur. Futile autem & inconcinnum illud argumentum ad probandam ab aevo Conſtantiniano Nonantulanae Crucis hiſtoriam, crebra illa miracula videbantur, quum idem, ſi vis, Cortonenſi perpetuâ ſeculorum ſerie obveniſſe credatur, quod facile nimium

—— Templi paries, poſteſque Sacrati,
Undique picturis fulgentes, undique ſignis,
Quae ſuſpenſa tholo, variis e partibus Orbis,
Votorum poſuere rei, Donaria monſtrant.

Quod idem Magiſtratus Cortonenſis, *Sacrae Unionis* quem vocant, cui cura cuſtodiaque tanti pignoris demandata, exprimi juſſit in Inſcriptione nobili marmoreae Arae adjecta, quam hic lubet adſcribere.

Jeſu Chriſti Filii Dei
Sacroſanctae Crucis
Cujus inſigne fragmentum
Frater Elias
Olim Franciſcani Ordinis Moderator
Ex Orientis Legatione retulit
Ac perennibus Miraculis illuſtratum
In Templo a ſe una cum Coenobio
In hac ſua Patria exaedificato
Repoſuit
Sacrae Unionis Magiſtratus
Aram ſuo ſumptu
Et collata Piorum ſtipe erexit
Ornavitque
Anno Salutis MDCXXXI.

Do

augeſcere cerneret Patriarchatu abdicavit, & Romam ſeceſſit, ubi, ut ait Gregorius Trapezuntius, non in eo honore fuit, ut par erat, decebatque virum qui poſt Papam ſecundum in Eccleſia locum haberet. Obiit vir doctiſſimus & pietate clarus Romae anno 1459. quum annos quinque & menſem unum Byzantinam ſedem obtinuiſſet.

Is idem ille eſt qui ſacras Exuvias (de quibus ſermo eſt) Nicolao V. Pont Max. dono dedit, a quo Jacobus Vagnuccius Epiſcopus Peruſinus habuit, qui in Patria ſua in Aede ma-

De Cruce Cortonenſi Benemeritus quoque eſt amicus meus optimus & Litterarum bono natus Joannes Franciſcus Gorius, qui in ſuo *de Mitrato Jeſu Nazareni Crucifixi Capite Commentario* pag. 101. Graecam Inſcriptionem cum élogio refert & latinè vertit. Nos ab eo, aegrè quidem, licet in minutioribus, diſcrepamus, quod Lector impiger & curioſus animadvertet.

Hac igitur commotus famâ, Leo Decimus Pontifex Maximus ſequens Sacrae Aedi quae tanto Theſauro illuſtratur Privilegium concedere non dubitavit.

„ Leo Epiſcopus Servus ſervorum Dei. Univerſis Chriſti Fidelibus „ praeſentes litteras inſpecturis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. „ Paſtoris Aeterni, qui non vult mortem, ſed converſionem peccatoris, „ vices, licet immeriti, gerentes in terris, gregem Dominicum curae „ noſtrae commiſſum ad vitam lucis aeternae quantum cum Deo poſſu„ mus perducere ſtudemus, & juxta creditum nobis Apoſtolicae ſervitutis „ officium, fideles ſingulos quorum merita pro demeritis prorſus ſunt „ imparia, ad pia & meritoria opera exercenda ſpecialibus muneribus, „ indulgentiis videlicet & peccatorum remiſſionibus libenter invitamus, „ ut per eorumdem operum exercitium ſuorum abolita macula delicto„ rum ad aeternae beatitudinis gaudia pervenire mereantur; cupientes „ igitur ut Eccleſia Domus S. Franciſci Cortonae Ordinis Fratrum Mi„ norum, quam nos nuper in die feſti Dedicationis Baſilicae Principis

B „ Apo-

majori Cortonae dedicavit anno 1457. Plura in rem proferet Illuſtriſſimus Johannes Serninus Eques Hieroſolymitanus in tractatu quem concinnat de Viris Illuſtribus Cortonenſibus. Non reticebo binas ex pluribus Latinis Inſcriptionibus Hierothecae a Sanctiſſimo Praeſule affixis, quarum una ita loquitur Papae nomine:

ſic ſic
HEC. Ē. PARS. VESTIS. PDCĒ*. Q. NOBꝰ. PER. PA
TRIARCĀ. CONSTANTINOPOLITANVM. LARGITA
Ē. IPSAMQ. DONO. DEDIMVS. IA. EPŌ. PERVSINO
O O
VICECAMER. AC. THESAVRA℞. NRŌ.

* praedictae

Altera Epiſcopi nomine:

✠ EGO. IACOBꝰ. EPV̄S. PERVSINVS. HOC. TABERNACVLVM
ſic
FECI. FIERI. AD. HONOREM. HVIVS. SACRĒ. VESTIS.
ſic
PREDICĒ. DIE. X. SEPTEMB℞. MCCCCLVII.

„ Apostolorum de Urbe personaliter visitavimus, & lignum vivificae „ Crucis inibi decenter reconditum venerati sumus, & ad quam, sicut „ accepimus, dilectus filius magister Sylvius Passerinus, Archipresbyter „ Ecclesiae Cortonensis, Notarius Scriptor & familiaris continuus com„ mensalis noster (*a*), singularem gerit devotionis affectum, in debita „ veneratione habeatur, nec non libris, calycibus, paramentis, & or„ namentis ecclesiasticis ad Divinum cultum necessariis decenter fulciatur, „ ipsique Christi fideles eo libentius devotionis causa ad dictam Ecclesiam „ confluant, & inibi pro praemissis manus adjutrices porrigant, quo ex „ hoc ibidem dono caelestis gratiae uberius conspexerint se refertos, de „ Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolo„ rum ejus auctoritate confisi, omnibus & singulis utriusque sexus Chri„ sti fidelibus ipsis vere poenitentibus & confessis sive confitendi proposi„ tum habentibus qui Ecclesiam praedictam in festo Dedicationis Basilicae „ Principis Apostolorum hujusmodi, a primis vesperis usque ad occasum „ solis ejusdem festi inclusive, devote visitaverint, annuatim, & ad re„ parationem, conservationem, manutentionem, & ad fulcimentum prae„ dictae manus adjutrices porrexerint, ducentos annos & totidem qua„ dragenas de injunctis eis poenitentiis misericorditer in Domino relaxa„ mus praesentibus, quas sub quibusvis revocationibus, & suspensionibus

„ qua-

(*a*) Sylvius Cardinalis Passerinus Cortonensis, vir rebus gestis & prudentia percelebris, Mediceae Genti addictus, injuria male apud Florentinos Historicos audit. De eo plura congessit nobilis & eruditus Eques Johannes Serninius Cortonensis, in eo tractatu quem de Viris claris Cortonensibus meditatur. Ejusdem hic adferam tantum Epitaphium quod Romae extat ad Divi Laurentii in Lucina.

D. O. M.

Sylvio Paßerino Tituli S. Laurentii in Lucina Presb. Cardinali
Cortonensi Amplissimo,
Qui ob singulares ejus virtutes a Leone X. cujus Datarius fuerat
Cardinalis creatus,
Dum Tusciae, Perusii, totiusque Umbriae sub Clemente VII. summâ
Provincialium, omniumque commendatione legatione fungeretur, ac
Acerrimum in eâ libertatis Ecclesiasticae vindicem se praeberet,
Sexagenarius Tipherni e vivis cunctorum moerore excessit An. D. MDXXIX.
XII. Kal. Maii. In hancque Sacram Tit. sui Aedem quam vivus excoluerat
Transferri se & condi ex testamento jussit.
Sylvius Passerinus Archiepiscopus Consentinus ipsius Cardinalis
Ex Niccolao Passerino & Francisca Hieronymi Borbonii
Marchionis Montis Sanctae Mariae Conjugibus Pronepos,
Patruo Magno Benemerenti atque Sibi
Adhuc vivens & de morte cogitans fac. cur.
Anno Dom. MDLXXXVII.

„ quarumcumque ſimilium vel diſſimilium indulgentiarum, etiam in fa-
„ vorem fabricae dictae Baſilicae, ac Sanctae Cruciatae, ſub quibuſcum-
„ que tenoribus & formis per nos & Sedem Apoſtolicam pro tempore
„ factis, nullatenus comprehenſas ſed ſemper ab illis exceptas, & quo-
„ ties illae emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas & repoſitas
„ exiſtere decernimus perpetuo futuris temporibus valituras. Dat. Flo-
„ rentiae Anno Incarnationis Dominicae Milleſimo Quingenteſimo Quinto-
„ decimo, octavo Id. Febr. Pontificatus noſtri Anno tertio.

Ex ſuperius expoſitis liquet a Cive noſtro nos Sacrum hocce Monumentum accepiſſe, ut Urbem noſtram eo praeſidio firmaret, ut ita loquar, atque muniret. Is Elias vocabatur, Divi Franciſci diſcipulus, ex ingenuâ de Coppis gente natus, vir geſtis, ingenio, doctrinaque iis temporibus praeſtantiſſimus. Franciſco ſui Coetus fundatori comes adhaeſit anno Aerae vulgaris MCCXI. & poſt ejusdem obitum Miniſter Generalis (ita vocant) inauguratus, diu etiam invitis ſociis ac per inteſtinas controverſias inter ſe diſſidentibus enaſcenti familiae praefuit. Quum demum rigidioris vitae pertaeſus moliretur relaxare ſeveriora inſtituta, a ſociis dignatione privatus, & a Pontifice Romano (*a*) aſpere increpitus, in Friderici Secundi Imperatoris, tum cum Romanâ Eccleſiâ rixantis partes tranſgreſſus eſt, anno MCCXXXIX. Hinc honoribus omnibus diminutus, aquâ & igni ſacriſque interdictus, Cortonae extra Franciſcanorum gentem deceſſit; Quumque ſub extremum vitae reſipiſceret Romanae Eccleſiae juſſa amplexus eſt. Quod quidem his verbis narrat de Fleury in Tom. XVII. hiſtor. Eccleſiaſt. (*b*) „ Innocentius (IV.) Papa ſub
„ menſe Aprili anni 1253. Peruſiâ Aſſiſium venit, quumque ibi morare-
„ tur, Frater Elias olim Ordinis fratrum Minorum Generalis miſit nun-
„ tios qui ab eo abſolutionem poſtularent. Poſt Friderici mortem, cui
„ adhaeſerat, ad proprios lares remeaverat Cortonam, illicque extruen-
„ do magnificam Aedem templumque Fratribus Minoribus curam omnem
„ ociumque impendebat, licet ab iis transfuga, Ordinis veſtem exuiſſet,
„ nullumque inter eos agnoſceret ſuperiorem (*c*). In morbum interea in-
„ cidit; fraterque ejus germanus, quem inter Minoritas habebat Aſſiſii,
„ cum de deſperatâ ejusdem ſalute reſciviſſet, extemplò Cortonae ad-
„ fuit, ut ſerio admoneret, & Ordini, & Sedi Apoſtolicae reconcilia-
„ ret. Elias praeſentis diſcriminis & praeteritorum geſtorum facie per-
„ motus oravit fratrem ut Aſſiſium continuo pergeret a Pontifice veniam
„ impetraturus. Quûmque interim ſe fato cedere perſentiret, Bentium
„ Archidiaconum Cortonenſem accerſivit, promiſitque, addito etiam ju-
„ rejurando, ſi per valetudinem liceret, ſe ad Papam iturum, vel ſi tem-
„ pus non ſuppeteret, miſſurum. Archidiaconus, ut ſecurius ageret, octo

 „ ad-

(*a*) Gregorio nempe IX.
(*b*) Ex Gallica in Latinam linguam tranſtuli quae ille p. 465. habet in edit. Pariſ 1727. in 4.
(*c*) VVadding ad hunc ann. num. 30.

„ adhibuit hujusce promissi testes, Presbyteros scilicet quinque & tres „ Notarios publicos, dein a Censuris absolvit. Presbyter vero alter, cui „ *Ventura* nomen, auditis secreto peccatis ejus, extrema muniit absolu- „ tione; tandemque per fratrem sui Ordinis, *Diotisece* nomine, Eucha- „ ristico Pane roboratus est, cum magna exhibuisset verae Poenitentiae „ argumenta. Elias vitâ cessit tertiâ decurrente Paschatis die, X. Kalen. „ Aprilis anno MCCLIII. Non multo post Frater ejus Assisio rediit, co- „ mitante Poenitentiario Papae, cui nomen Frater Velascus, ejusdem „ Ordinis Minorum, cuique de resipiscentiâ Eliae commissum fuerat exa- „ men. Quem quùm vitâ functum repererit, authenticum Instrumentum „ de iis quae antea gesta erant perfici mandavit, factumque adprobavit.

Extat adhuc Apostolici hujus Legati sententia inter meos Codices manuscriptos. Ceterum ea quâ polluit in rebus gerendis acris ingenii solertia Eliam reddidit pluribus Principibus viris carum; ubi Instituti sui ratio posceret gravis, intentus, severus, & saepius lenis, liberalitatem ac magnificentiam amavit plus quam ut privato homini, qui pauperiem profitebatur, liceret. Quod apprime probant plura ab eo excitata Aedificia Regali animo, adprobanteque fortunâ perfecta. Illustri legatione functus est pro Friderico Imperatore apud Joannem (*a*) Ducam Vatatzen Theodori Lascaris filium Imperatorem Constantinopolitanum, a quo eximio hoc, de quo sermo est, Divinae Crucis Phylasterio donatus est. Ille Patriae redditus in templo a se exaedificato dedicavit. Quùm aliquot ab hinc annis ejusdem Arca Sepulchralis detecta fuisset, ne tanti viri memoria apud nostrates obsolesceret, memini me sequens Epigramma marmori mandasse, consociatis alterius Cl. Viri Cortonensis ejusdem Ordinis Praesulis cineribus & encomiis, his verbis:

D. O. M.
Fr. Eliae Coppio & Carolo Baciocchio
Franciscani Ordinis Moderatorib. Domo Cortona
Ob Optumis Legibus Sanctissimisque Institutis
Auctam ornatamque Religiosam Familiam
Et Doctrinae Prudentiae rerumq. gestarum parem famam
Cortonensis Coenobii Fratres
Viris Benemerentiss. Monum. Memor. restituer.
Anno Sal. MDCCXXXVI.
Primus obiit X. Kal. Maii Ann. MCCLIII.
Alter Prid. Kal. Novembr. Ann. MDCCXXI.

Propero nunc ad Explicationem Graecae Inscriptionis Crucis nostrae Cortonensis, quam ad vulgarem graecè scribendi formam redactam exhibeo

(*a*) Hic regnum adeptus est ann. 1222. plurima de Latinis oppida recepit & mort. ann. 1255.

beo, in gratiam praecipuè eorum quibus ignoti illi in Autographo nexus litterarum, Graecis sequioris aevi familiares, negotium facessere possent.

Καὶ πρὶν Κραταιῷ Δεσπότῃ Κωνσταντίνῳ
Κριστὸς δέδωκε Σταυρὸν εἰς σωτηρίαν
Καὶ νῦν δὲ τοῦτον ἐν Θεῷ Νικήφορος
Ἄναξ τροποῦται φύλα Βαρβάρων ἔχων.

Versus hosce Limbi Tabulae Inscriptio consequitur:

Ὁ τῆς Μεγάλης Ἐκκλησίας Θεοῦ Σοφίας
Σκευοφύλαξ Στέφανος τῇ θρεψαμένῃ Μονῇ
’θελήθης προσφέρει.

Universus sensus est:

Magnae Ecclesiae Dei Sophiae Scevophylax Stephanus nutritori Monasterio lubens offert, & primum forti Domino Constantino Christus dedit Crucem in Salutem, & nunc Nicephorus in Deo Rex eam habens evertit Barbarorum copias.

Haec singillatim explanabo inverso aliquantisper Inscriptionis ordine; Neque enim per τὸ *Et* incipiendum reor.

Ὁ τῆς μεγάλης Ἐκλησίας θεοῦ σοφίας: *Magnae Ecclesiae Dei Sophiae.* De hac mirabili omnique ex parte magnificentissimâ Constantinopolitanâ Basilicâ à Justiniano Magno aedificatâ, vel ut alii volunt, restitutâ, non est cur loquendo diutius immoremur; eruditis enim abunde satis consultum a viris doctissimis Ducangio & Bandurio (*a*) de Antiquitatibus Constantinopolitanis. In ea vero adservari consuevisse partem ligni Sanctissimae Crucis, singulari Venerabilis Bedae testimonio (*b*) probatur. „ Interior domus, ait ille, (Aedis videlicet Sophianae) in Aquilonari „ sui parte, grande & pulchrum Armarium habet, in quo Capsa li„ gnea ligneoque operculo tecta Crucis Dominicae tres particulas conti„ net, longum videlicet lignum in duas partes incisum, & transversum „ ejusdem Sanctae Crucis lignum. Hæc tribus tantum per annum diebus; „ hoc est in Coena Domini, in Parasceve, & in Sabbato Sancto, popu„ lis adoranda profertur: quarum prima capsa illa super Altare aureum „ duos cubitos altitudinis, & unum latitudinis habens cum Cruce San„ ctâ patefacta componitur, accedensque primus Imperator, deinde cun„ ctus per ordinem laicorum gradus Sanctam Crucem adorat & oscu„ latur.

Nonne haec eadem est Sanctae Crucis pars quam Heraclius Imperator a Persis redemit, quamque Sergius Patriarcha in Sophianam Ecclesiam fer-

(*a*) Lib. IV. pag 744. Videndus Periander, Evagr. Pancirolus de Regionib. Urb. Constantinop. pag. 239. & alii plures.

(*b*) In libello de locis Sanctis.

servandam transtulit? Auctor est Nicephorus Constantinopolitanus Patriarcha in Historiar. Breviario.

Σκευοφύλαξ Στέφανος. *Scevophylax Stephanus*. Qui a sacrâ Ecclesiarum Graecanicarum supellectile vel Cimaeliis erant, *Scevophylaces* appellabantur; quumque plures numero essent, praestabat inter caeteros dignitate, qui ὁ μέγας *magnus* dictus est: τῶν ἱερῶν κειμηλίων ἐπιμέλειαν ἔχει ὁ μέγας Σκευοφύλαξ, *Sacrorum Cimaeliorum curam habet magnus Scevophylax*, ait Balsamon de Chartophyl. & Protecd. apud Johannis Meursii Glossarium Graeco-barbarum (*a*). Illius curae nedum credita Vasa Sacra, sed & Reliquiarum thecae pretiosissimae, quod advertit Thomassinus in vetere & nova Ecclesiae disciplinâ. Quodque magis rem nostram adtingit, in veteri illâ Hierosolymitanâ Aede, quae Anastasis, sive Εκκλησία ἁγίου Σταυροῦ dicebatur, is qui custodiendi Crucem illic ab Helena reconditam, & dein Constantinopolim translatam, munus habuit, non Σταυροφύλαξ tantum, sed etiam Σκευοφύλαξ τῆς ἁγίας Αναστάσεως dictus est; quod ex Byzantinis Scriptoribus probat pluribus Ducangius in Dissertatione de inferioris aevi numism. §.66. Imperatores Scevophylacis Aedis Sophianae honorificentissimo munere insigniores viros ornarunt usque ad tempora Isaaci Comneni, qui jus nominandi in Patriarcham transtulit, uti auctor est Zonaras in ejus vitâ.

Adserit autem laudatus *Meursius*, & dein *Ducangius* in Glossario mediae & infimae Graecitatis hos Ecclesiæ ministros fuisse olim in tres ordines distributos, Presbyteros nempè, Diaconos, & Lectores ex Constitutione Imperatoris Heraclii, qui numerum definivit Clericorum & Officiorum Ecclesiae Constantinopolitanae. Monachos etiam adhibitos ad id munus, uti ad ceteras dignitates Palatinas, observarunt Mabillonius & Thomassinus (*b*), & in Septimâ Synodo mentio habetur cujusdam Monachi qui Diaconus erat, Notarius, & *Scevophylax* Oratoriorum quae immediatè suberant Patriarchae potestati (*c*). *Scevophylax* alter in Exercitu Imperatoris frequenter memoratus, is forte erit qui ab Imperatoriae mensae supellectilis curâ esset. Ceterum nihil est quod adnotemus apud *Synaxarium* de Sancto Josepho hymnographo, inverso paullulum verborum ordine legi (*d*) ἱερῶν σκευῶν τῆς τοῦ Θεοῦ μεγάλης Ἐκκλησίας Σοφίας φύλαξ.

Μονῇ τῇ θρεψαμένῃ ἡδέως προσφέρει. *Monasterio nutritori lubens obfert*. Occurrit passim apud Sequiores Scriptores vox Μονὴ, & praecipuè apud *Johannem Phocam* in descriptione Terrae Sanctae, & *Codinum* de Officiis Constantinopolitanis, & in Codicibus omnibus ante decimum quartum saeculum a Monachis exaratis, ut videre est in *Montfauconii* Palaeographiâ. Nu-

(*a*) Videndus & Joseph Bingamius in Antiquit. Ecclesiast. Tom. 2. § 3. pag. 77. Halae 1725. & Svvicerus in thesaur. Tom. 2. pag. 972.

(*b*) Mabillon. in praefat. ad Act. Sanctor. Ordin. S. Bened. Thomassin. veter Eccles. discipl. Tom. 1. cap 99 edit Lucens. 1728.

(*c*) Histor. Miscell VII. Synod. act. 4. Μοναχὸς καὶ Σκευοφύλαξ.

(*d*) Apud Ducang. loco citat.

Nutritori Monasterio Crux obfertur, quod in eo *Scevophylax Stephanus* à pueritiâ nutritus fuerit, ex antiquâ utriusque Ecclesiae consuetudine, quâ pueri & puellae in Monasteriis educari ac instrui solebant; ut sincera & integra, & nullis pravitatibus detorta uniuscujusque natura toto statim pectore arriperet artes honestas, & Religiosae disciplinae facile adsuesceret institutis.

Potes etiam id, si vis, de Monasterio in quo Monachus degebat intelligere, quod Curatorem suum sive Nutritorem appellet, non absimili dicendi formulâ, quâ apud Latinos usi sunt Pontifices Maximi, quos Divum Petrum *nutritorem suum* apud *Anastasium Bibliothecarium* appellasse docet eruditus *Fontaninius* in suo ad Discum Christianum Perusinum Commentario. Et in eum sensum ait Divus *Augustinus* (*a*); *Erat Monasterium Mediolani, plenum bonis fratribus sub Ambrosio Nutritore*.

Crucem obfert *Stephanus* Ecclesiae sui Monasterii; nam inter anathemata & donaria Ecclesiis oblata, sunt & Reliquiae Domini & Sanctorum, uti admonet *Carolus Ducangius* laudatissimus in Commentario ad *Pauli Silentiarii* descriptionem Aedis Sanctae Sophiae.

Δεσπότῃ Κωνςαντίνῳ. *Domino Constantino*, *Despotae* nomen non nisi posterioribus saeculis in usu venit. Augustus, ait *Svetonius*, *Dominum se appellari, ne à liberis quidem aut nepotibus suis, vel seriò, vel joco, passus est*. Et Tiberio dictum peculiare perhibetur se *δεσπότην μέν τῶν δύλων, αὐτοκράτορα δὲ τῶν Στρατιώτων*, *Dominum Servorum & Imperatorem militum* (*b*). Nondum enim adsuerant Romanae aures illi tam invidioso titulo, primusque Latio ipsum intulit, dominusque palàm dici passus est Diocletianus (*c*). Hinc eo excusso moderationis scrupulo, Graeci tumidi nimium ac fastosi Imperatoribus suis non tantum hoc titulo adulabantur, verum etiam inter sese ipsos ad invicem *δεσπότας καὶ κυρίας*, more ad nostra tempora turpiter traducto, salutabantur (*d*).

Eo verò pacto quo is qui Imperio destinabatur *Caesar* apud Latinos, ita apud Graecos ΔΕΣΠΟΤΗΣ dictus est. Nicephorus Imperator, ut adnotavit *Meursius* (*e*), quùm in partem Imperii admisisset Stauracium, hic Despota maluit appellari, patri ob reverentiam relicto ampliori titulo *τῦ βασιλέως*: Quod idem confirmat aureus ejusdem Nummus apud Begerum in Thesauro Brandemburgico. At Despotae titulus successu temporis illi *Βασιλέως* eminentiâ praestitit, quod in Michaele Duca, Nicephoro Botaniate, Romano Diogene, aliisque videre est. Auctor nostrae Inscriptionis Constantinum Maximum Despotam vocat *κατὰ πρόληψιν* eo titulo, quo sui aevi Imperatores Orientis utebantur (*f*). Plura de titulo & di-

(*a*) Confession. lib 8 cap. 6.

(*b*) Dio in ejus Vita.

(*c*) Sext. Aurel. Victor. Norisius dissert. de num. Dioclet. Florentiae 1675.

(*d*) Casaubon. ad Theophrast. In veteri lapide uxor *κυρία* & Venus *δέσποινα* appellantur.

(*e*) In Glossar. suo Graeco-barbaro, ad vocem.

(*f*) In historia medii aevi *Βασιλέως* nomen

dignitate Despotae videsis apud Cangium, Harduinum, & Bandurium.

Χριςὸς δέδωκε Σταυρὸν εἰς σωτηρίαν. Christus dedit Crucem in Salutem. Alludit hic Auctor ad pugnam illam totâ Christianâ historiâ celebrem, quâ Constantinus *Instinctu Divinitatis* arma in Maxentium Tyrannum ferens Romanam Rempublicam justis ultus est armis, septimo ab Urbe lapide, anno Chr. CCCXII. Constantino III. & Licinio III. Coss. V. Kal. Novembr. (*a*) Eusebius Synchronus auctor memorat Constantino Crucis signum e Coelo, in pleno meridie ante pugnam apparuisse, his adjectis litteris EN. TOΥTΩ. NIKA. *In hoc vince.* Jubente mox Christo, ut militaribus signis Crucis imaginem apponeret *καὶ τούτῳ πρὸς τὰς τῶν πολεμίων συμβολὰς ἀλεξήματι χρῆσθαι, & eo tanquam salutari praesidio in praeliis uteretur* (*b*). Ajunt tùm temporis primùm Labaro intextum Christi monogramma; & Constantinum Galeam ipsam suam illo ornatam voluisse; quod non obscurè comprobatur ex nummis ipsius a Bandurio relatis (*c*). Illud non dissimulabo, Criticos non deesse qui toti huic narrationi quidquam falsi affictum credant (*d*); de quo in praesens non disputabo.

Rectè autem in nostrâ Inscriptione dicitur, *Christum Constantino dedisse Crucem in salutem*, sive hoc referre velimus ad supra enarratam Crucis Epiphaniam, quam *τῶν Σωτηρίω ἐπηγορίας τὸ σύμβολον* vocat Eusebius, & *Σωτήριον Σταυρὸν* Damascenus, & Synodus Trullana *ζωοποιῶ Σταυρῶ σωτήριον*; sive ad Crucis ipsummet Lignum suo saeculo, uti ferunt, detectum, cujus partem ab Helena matre acceptam (*e*) cum adversus Licinium copias duceret, in tabernaculo extra Castra illi constituto, religiosissime custodiebat: Auctor est laudatus Eusebius (*f*).

Χαὶ νῦν δὲ τοῦτον, & nunc ipsam habens &c. Divinae Providentiae justè ritèque victorias suas referebant Christiani Caesares, unde familiaris illa Epigraphe in Nummis eorum in Oriente percussis, IC. XC. NIKA. *Jesus Christus vincit.* A quibus acceperunt Franci & Angli in eorum monetâ ab antiquis temporibus illud, *Christus vincit*, *Christus regnat*, *Christus Imperat.*

Νικήφορος Ἄναξ ἐν Θεῷ. Nicephorus in Deo Rex. Plures hujus nominis Imperatores fuere. Nicephorus ille primus avaritiâ & crudelitate infamis, Iconoclasticae, & Maneticae Sectae fautor, & fortassis etiam adsecla, totiens à Saracenis, Bulgaris, Francisque bello superatus, ad nostram Inscriptionem nullo modo potest pertinere. Bello Bulgarico periit

A. D.

men aequivalet illi Imperatoris; sexcenta habes exempla. De Juliano ita habet Sophista Libanius: *διὰ τῶτο χαίρω καλούμενος ἱερεὺς οὐκ ἧττον ἢ βασιλεύς.*

(*a*) Fasti Idatian, Chronic. Prosper. Aquitan, Kalendar. Vet. apud Bucher. pag. 286. Noris. obi supra.

(*b*) Euseb. in vita lib. 1. cap. 29. Jacob. Gothofr. ad Philostorg. lib. 1. cap. 6.

(*c*) Numism. Imper. tom. 2.

(*d*) Vid. Cellar. Differt. de primo Principe Christiano inter ejusdem Differt. Academicas. Lipsiae 1712.

(*e*) Divus Ambros. Oper. Tom. 5. Conc. 3. Theophan. ad ann. 21 Constantini.

(*f*) De vit. Constantin. lib. 2. c. 14. & lib. 4. cap 56. Eadem habet & Socrates in hist.

A. D. XXVI. Julii A.C. DCCCXI. Alter NICEPHORUS *Phocas* cognominatus est, qui imperium adsumpsit circiter ann. CMLXIII. Tertius NICEPHORUS *Botaneates* dictus, Turcarum ope Principatum obtinuit sub annum MLXXVIII. Inter hos postremos duos de possessione Crucis nostrae lis suboriri posset. Nonnullae rationes ut Nicephoro Phocae adtribuam animum impellunt. Hic nempè Imperator vir domi forisque clarissimus, latè de Saracenis in Asia, Cilicia, Syriaque victor extitit, plurimaque ab iis oppida recuperavit. Hic triumphator Constantinopolim rediens, insigni Christianae pietatis exemplo Cruces omnes à Barbaris recuperatas Templo obtulit, ac de hostium manubiis decimam Deo persolvit, uti auctor est Curopalata. Ejusdem numisma a Jacobo Strada adfertur ex alterâ paginâ imaginem Crucis habens quatuor insistentem gradibus cum Inscriptione VICTORIA. AVG. Sunt tamen qui pro Botaneata calculum ferre non dubitarunt, duabus potissimum rationibus adducti. Primam, ex hujusce generis Crucibus deducebant, quarum nullam extare undecimo saeculo anteriorem credebant, vetustioremque rebantur eam, quae ad Irenem Alexii Comneni Imperatoris uxorem pertinuit, & a Montefalconio in suo Diario Italico adfertur (*a*). Paulò ante id temporis Sacrorum horum Phylacteriorum usum inductum existimabant, illumque originem debere Victoriae illi celeberrimae Imperatoris Joannis Tzimiscae, quam ex Bulgaris reliquisque Barbaris fausto omine retulit, anno Christi DCCCCLXXI. Ille enim Constantinopolim ovans intravit ab imagine Deiparae praecessus, cui Victoriam illam acceptam referebat. Eventum illum faustum Orientis Augustis omnique Aulae facilè persuasisse addebant, nullum esse Phylacterium contra Barbaros efficacius, quàm Sanctorum Icones & Beatae Virginis, primasque ferre duxerunt frustulum aliquod verae Crucis in Alexipharmacum & tutamen in castris adductum. Hinc est quod peritissimus Ducangius in Dissertatione XXVI. in opus Joinvillianum, Cruces omnes quotquot novimus, nostrae adsimiles, possessoribus pro Phylacteriis tantùm inserviisse adserere non dubitavit. Si igitur a vero non absonum dicatur post Victoriam Joannis Tzimisce hunc usum obtinuisse apud Augustos Byzantinos, Crucem nostram Cortonensem, ajebant, potius Nicephoro Botaneatae, quàm Nicephoro Phocae, ejusdem nonnullo annorum & Caesarum intervallo antecessori, adjudicandam esse.

Altera ratio quae postremam hanc sententiam confirmare videbatur, deducta est ex Cruce illâ quae Venetiis in Thesauro D. Marci adservatur quae a nostrâ non multum abest. Illi nomen inscriptum est Mariae Nicephori Botaneatae uxoris, & a laudato Montefalconio in Diario Italico adlata est. Cultum illum vivificae Crucis facili negotio a viro in uxorem transmigrasse judicabant; ita ut duo efficta fuerint utriusque commodo paullò diversa Phylacteria, in quibus partem verae Crucis incluserint, uti solemne pharmacum ad interiores externosque hostes averruncandos. Il-

C lud

(*a*) Pag 53.

lud non omittendum, Nicephorum Botaneatem inimicorum aſtu & vi detonſum, detruſumque in Monaſterium anno MLXXXI. hinc Sacrum hocce pignus rebantur ſecum adſportaſſe, infortunii ſui ſolamen, quod deinde in Monachorum poteſtatem, & Stephani illius Scevophylacis manus pervenerit. Utcumque res ſe habeat; quùm Botaneatam ſolo trium annorum ſpatio regnum tenuiſſe animadverterim, nec eo intervallo ullam magni momenti victoriam de Barbaris retulerit, pro Phocâ calculum adfero ſaepius victori Gentium barbararum. Quae conditio in Inſcriptione noſtrâ luculenter expreſſa, attendenda eſt, ceteris relictis conjectamentis. Uſus autem Phylacteriorum altiùs repetendus eſt, ſi verum eſt, quod ajunt Florentini, Crucem illam litteratam quàm in eorum Baptiſterio conſervant, a Carolo Magno eidem Eccleſiae dono datam fuiſſe.

Quod reliquum eſt, Crux Cortonenſis haud certè compacta eſt poſt Aerae Chriſtianae annum milleſimum; hinc eſt quod iis omnibus quaecumque publicam lucem noſtris temporibus inviſerunt, dicenda eſt antiquior, & eo etiam nomine multò pretioſior. Characteres certe illud ſaeculum redolent ſi cum allatis a Montſauconio in ſua Graeca Palaeographia conſerantur.

Nicephorus Homerico vocabulo hìc Ἄναξ appellatur, ſed non inſueto Imperatoribus Orientis more, quibus promiſcuum fuit eo uti ac illo Βασιλέως. Imò in Antiquioribus Scriptoribus, Aeſchylo putâ, Ἄναξ Βασιλεὺς habetur, & in Ariſtophane Δέσποτ' Ἄναξ invenitur (a). In primâ fronte Archetypi voluminis Pandectarum, quod Florentiae eſt, in illo Graeco Epigrammate dicitur: Βίβλον Ἰουστινιανὸς ἄναξ τεχνήσατο τήνδε. *Librum Juſtinianus Rex molitus eſt hunc*. Et in fronte Anonymi Menologii Graecorum paullo ante ea tempora, quibus Inſcriptio noſtra, exarati legitur; Ἄναξ ὅλης γῆς Βασίλειος. *Rex univerſae Terrae Baſilius*.

Τροποῦται φῦλα βαρβάρων. In fugam vertit Barbarorum Copias. Euſebius, ſeu quis alter, in Oratione quam habuit de laudibus Conſtantini, quùm plurima quae a divino Crucis Signo Imperator commoda acceperat diſertiſſimè exponeret, illud adjecit: τούτῳ βάρβαρα φῦλα καθυπετάττετο. *Hoc ſigno Barbarae gentes ſubactae*. In altera verò Cruce de quâ inferiùs verba habebimus, inſcriptum eſt νικῶν δι' αὐτὸν δαίμονας καὶ βαρβάρους. *Vincens per ipſum* (lig. Cr.) *Daemones & Barbaros*. Doctiſſimus Gorius in Diſſertatione ſuperiùs laudatâ, in Cruce noſtrâ alluſum non dubitat ad victoriam illam, quâ Nicephorus Phocas Saracenos debellavit ſub Ann. DCCCCLXIII.

Expoſitâ, ut licuit, Crucis Cortonenſis Inſcriptione, ad alteram hujus monumenti paginam propero, quae nonnullis figuris ornatur. Et primùm ſeni Orbiculi exhibentur, quorum tres in ſummâ, tres in imâ Tabulae parte. Primus in medio ponitur *Jeſus Chriſtus* IC̄. XC̄, a dextris Chriſti, & à ſiniſtris adſtant Angeli, *Gabriel & Michael*, adpictis nomini-

(a) Vid. Spanhem. not. ad Callimach.

nibus ΜΙΧΑΗΛ. ΓΑΒΡΙΗΛ. Inferiores loculos occupant ὁ Ἅγιος Κωνσταντῖνος, & ἡ Ἁγία Ἑλένη, & ὁ Ἅγιος Λογγῖνος. *Sanctus Constantinus*, *Sancta Helena*, *Sanctus Longinus*.

Orbiculos adsimiles passim videre est in veterum Christianorum Sarcophagis & Picturis; quin imò & in Sacris vestibus, in quibus Cruces cum orbiculis memorat *Anastasius* Bibliothecarius. Qui mos longo tempore obtinuit, uti observare est in Sacris vestibus Phrygio opere intextis & auro in Cathedrali Cortonen. à Sylvio *Passerinio* Cardinali dedicatis. Graeci Clypeos istos Sanctorum imaginibus insignitos Ἀσπίδας ὀμφαλόεσσας vocitarunt, quod ex Paulo *Silentiario* jampridem adnotaverat Fontaninius (*a*), Latini etiam *Scuta* dixerunt, teste supra laudato Anastasio in vità Leonis III.

Salvatoris effigies promissis erinibus, elegantique barbâ passim exhibetur in Nummis Orientalium Imperatorum, adjectis Siglis ΙC. XC. In hac tabulâ Jesus Christus habens à tergo Crucem dextram protendit binis extensis digitis; talis enim fuit benedicendi Graecorum Episcoporum ratio, quae paululùm immutata ad Episcopos Romanos, ceterosque Ecclesiae Latinae pertransiit. Sinistrâ Christus Dominus Evangeliorum librum tenet, qui quandoque clausus est, ut in hac Icone, quandoque apertus, & tunc in eo videntur exscriptae litterae A. & Ω. *principium & finis*. Plurima quae ad hoc faciunt collegit ex Patribus & penitiori Sacrâ Antiquitate Cl. Ducangius, quem consulent qui tanti esse existimabunt.

Angelos Graeci non, ut Pictores nostrates, nudos, sed vestitos repraesentabant. Sceptrum dextrâ gerunt, quod proximè accedit ad virgam illam Augustis Orientis & Consulibus peculiarem, gemmâ in apice & flore distinctam, quam *ferulam* seu Ναρθήκα dixerunt.

In medio inferiori Orbiculo Constantinus Maximus repraesentatur, dextrâ Sceptrum tenens, in cujus apice Crux. Corona quam capite gestat margaritis & lapillis contexta, Calyptram nobis commemorat illam Τῦφαν appellatam (*b*), hujusmet Imperatoris inventum. In Venetae Crucis tabulâ, quam Erudito Commentario explicavit Anselmus Costadonus V. C., idem Constantinus visitur cum *Camaleucio* gemmis ornato, quo usus est Justinianus Imperator (*c*). Crux quae in summitate Coronae effulget, ex more pariter Orientalium Caesarum est, quem primùm invexit Imperator Justinus. Crux verò Sceptro seu ferulae affixa in locum Aquilae Romanae in Sceptro eburneo Consulari successit. Totus denique Constantini Maximi vestium cultus iis temporibus quibus insculptum Anaglyphum est, mirè respondet; Quod declarat prolixa barba, quae nunquam in antiquioribus hujus Imperatoris Numismatibus visitur.

 Con-

(*a*) Ad Discum Perusin. Dissert.

(*b*) Ducang. de Inf. aevi numism. Dissert.

(*c*) Plura in rem congessit laudatus Costadonus.

Conſtantinus Maximus apud Graecos excelſo ſemper in loco fuit, qui haud contenti eximiis eum laudibus in coelum efferre, in albo quoque Sanctorum retulerunt. In Tabella Regii Codicis apud Bandurii Antiquitat. Conſtantinopol. depictus eſt cum ejus Helena matre, crucem eandem manu ambo amplexantes, additis Graecis notis ὁ Ἅγιος καὶ εὐσεβὴς Κωνςάντινος ὁ Βασιλεὺς, ἡ ἁγία Ἑλένη ἡ μήτηρ αὐτῦ. *Sanctus & Pius Conſtantinus Imperator*, *Sancta Helene mater ejus*. Sequiores aevi Scriptores peculiari titulo vocaverunt τὸν ἰσαπόςολον: Per eum quippe Pax & Libertas Eccleſiae reſtituta, & Religio vera donis ac privilegiis aucta firmataque. Nimius forem, ſi velim praeconia quibus eum ornarunt Patres utriuſque Eccleſiae percurrere. Illud non omittam Conſtantini filios eximiâ Patris virtute & fortunâ commotos, poſt ejus obitum, non ex Patro more, Apotheoſin, ſed ad ſuperos beatam adſumptionem percuſſo numiſmate teſtatam voluiſſe. Quadrijugo enim invecto curru Imperatori dextra caelitus porrigitur, quae ex nubibus exerta in antiquis Chriſtianis picturis & Anaglyphis Deum Opt. Max. exprimit. Nummulum hunc è Muſeo meo exhibeo:



Decreto etiam Senatus, ut ceteri optimi Principes, Conſtantinus inter Divos relatus eſt. Eutropius expreſsè teſtatur (*a*) & nomiſma in quo Epigraphe DV. CONSTANTINVS. PT. AVGG. *Divus Conſtantinus Pater Auguſtorum*. In parte aversâ, mulier ſtolata ſtat, dextrâ bilances habens, Inſcriptio eſt, IVST. VENER. MEMOR. hoc eſt. *Juſta venerandae memoriae*, ſubintellige *ſoluta*. Juſta idem ac ἔθιμα Graecorum. Quae quidem minus Ethnicum ſapiunt, quam priſcorum Caeſarum *Conſecrationes*. Primus hos Nummos recte explicavit Bimardus amicus meus deſideratiſſimus. (*b*) Nec ulli ſcrupulum iniciat *Divi* nomen; nam Auguſti multo etiam poſt tempore cum Chriſti fidem profiterentur, *numinis*, *aeternitatis*, *divinitatis* titulos non reſpuerunt (*c*), & ipſimet leges ſuas, litteras, & reſcri-

(*a*) Hiſtor. lib. 10. cap. 8.

(*b*) V. Memoir. de l'Academ. de Paris Tom. 15. pag. 105. in 4.

(*c*) Pontificis Max. titulus uſque ad Gratianum locum habuit. Concinit Inſcriptio extans Romae in Capitolio veteri

DIVO. AC. VENERABILI
PRINCIPI. CONSTANTINO
PATRI. PRINCIPVM
MAXIMORVM
&c.

In Muſ. Veron. 251.

ſcriptiones, *Divinas*, *ſacratiſſimas*, & *Oracula* appellaverunt, more à Paganis retento, eoque uti poſſe cenſentes, ad cultum honorificentiamque ſibi debitam a populis confirmandam, abſque ullo Religionis detrimento.

At Conſtantinus plura quoque humanitùs paſſus eſt; nec ſua illi vitia defuerunt, quae quidam magni nominis Auctores crimina appellare non dubitarunt. Obiicitur primùm immanitas & praepropera, quâ ſe rapi paſſus eſt, ira in caede Criſpi filii & Fauſtae uxoris decernendâ. Dein jurisjurandi violata religio in Licinii Patris & Licinii Caeſaris morte procuratâ: Demùm priſcae Religionis inſanos cultus abiiciendi metus; Nam licet Deo vero Aedes à ſolo excitaverit, votaque illi nuncupaverit, ejuſdemque adſeclas perpetua tuitione defenderit, vix tres ante obitum menſes inter Catechumenorum numerum adſcitus eſt Helenopoli; quod diſertiſſimè probavit Henricus Valeſius in Notis ad Euſebium; & infirmare non audet Tillemontius (*a*), aliique melioris notae Scriptores. Conſtantius quoque ejus filius & partis Imperii haeres Chriſtianus *Clinicus* fuit, ex teſtimonio Athanaſii, Socratis, Philoſtorgii & Chronici Alexandrini; nam in rebus omnibus patris exemplum ſequi ſibi lege conſtituerat.

Haec adjecimus occaſione tituli liberaliter nimium à Graecis Menologis Conſtantino conceſſi. Caeterum *Sancti*, *Sanctiſſimique*, *Beati*, & *Beatiſſimi* titulos inter ſexcentos alios ex adſentatorum penu depromptos uſurparunt Imperatores Ethnici, & Chriſtiani uſque ad Othonem primum; quod qui in hiſtoria prorſus hoſpites non ſunt optimè norunt (*b*). Graeci Imperatores ſe *Sanctos* in ſolemnioribus ab ipſo Conſtantinopolitano Patriarcha peculiariter appellari voluere, teſte Codino, aliiſque probatis Scriptoribus. Conſtantinum verò Latina Eccleſia conſtanter in Sanctorum albo inſcribere recuſavit. S. Hieronymus, Lucifer Calaritanus, Severus Sulpicius, & Ruffinus de Arrianiſmo ſuſpicantur; a quâ notâ non ſatis vindicarunt ejusdem advocati, Natalis Alexander & Bollandiſtae, ut animadvertit Benedictus XIV. Eccleſiam Catholicam hoc ſaeculo beans in Opere ſuo *de Canonizatione Sanctor.* Fruſtrà igitur in medium adfertur cultus illi in Angliâ, Belgio, & Siciliâ nimium liberaliter datus (*c*).

Helenae & Longini Scuta remanent obſervanda. Helenae capitis diadema ex eo genere eſt quod Τυμπανίον Graeci appellaverunt, cui non abſimile videre licet in Theodora Auguſta in tabulâ VI. Dufreſniana. De Helenae, quae in Neapolitano marmore *piiſſima ac venerabilis femina* audit, Sanctimoniâ, te ad Graecos Agiologos amandari ne graveris.

Militem illum qui lanceâ Chriſti demortui latus effodit viſum eſt nonnullis *Longinum* appellare, & inter Sanctos referre; plura de eo fidenter

ſanè

(*a*) Hiſtoire des Emper. tom. IV. notar. pag. 658 & 659.

(*b*) Plura videſis apud laud. Coſtadonum pag. 17. Boldett. ſopra i Cimiter. de' Martiri pag 379.

(*c*) Haec & plura laud. Coſtadon. ubi ſupra.

ſanè dicta, certi nihil. Eum Graeculi martyrium autumant conſecutum propè Tyanas in Cappadocia. Hic monachali habitu repraeſentatur, quo illi nihil ſanctius habuerunt. Crucem parvulam dextrâ gerit Graecanico item more; nam eâ Sanctorum dexteras perpetuò munitas in Tabellis Dufreſnianis conſpicimus.

Quatuor figurae ſtantes quae in Tabulae noſtrae areâ obſervantur indictae non abibunt; Prima monialis habitu conſpicua Deipara eſt, id adcinente appoſita Epigraphe ΜΡ. ΘΥ. μήτηρ Θεοῦ. *Mater Dei*. Extenſis manibus precantis in morem frequentiſſimè in nummis Conſtantinopolitanis, in gemmis exſculptis, in Picturis, & in Lithoſtratis operibus effingebatur, additis ubique nominis notis.

Qui ad laevam cernitur demiſsâ Graecanicâ veſte vir indutus, Divus eſt Joannes Baptiſta; inſcriptum ſiquidem eſt ὁ Ἅγιος Ἰω ὁ Πρόδρομος. *S. Joannes Praecurſor*. Sic homo iſte quo *major non ſurrexit* a Clemente Alexandrino appellatur ἡ φωνὴ πρόδρομος τοῦ Λογοῦ, *Vox Verbum praecurrens*. Ipſe enim praemiſſus eſt adventui Meſſiae, & conſtitutus Limes quidam ad quem deſineret Judaiſmus, a quo inciperet Chriſtianiſmus, ut Tertulliani verbis utar. Non villoſa pelle ſeminudus induitur, uti apud Pictores noſtrates, ſed digniori habitu, *longaque in veſte Sacerdos*.

Tertium locum obtinet ὁ Ἅγιος Στέφανος, *Divus* ſcilicet *Stephanus* Protomartyr. Jungit manus ſupplicantis habitu & tunica & pallio ſpectandus adparet. Stephanus Scevophylax & hujus monumenti auctor, Sanctum ſibi nominis datorem, in eo locum habere voluit.

Quartam tenet ſedem ὁ Ἅγιος Ἰω. ὁ Θεόλογος, *S. Joannes Evangeliſta*. Librum ille Evangeliorum gemmis ornatum, quorum Scriptor extitit, ſiniſtrâ gerit. Cl. Calmettus Joannem ait plerumque *Theologum* idcirco vocari, quòd altiſſimarum fuerit revelationum participes, quodque praeſertim ſublime adeò initium Evangelio ſuo adpoſuerit; Unde & Tonitrus filius appellatus.

Venio nunc ad univerſum noſtrum ſacrum Monumentum, ejuſque uſum & inſignem raritatem. Hujuſmodi Thecas Graeci vocarunt φυλακτήρια, quibus Sanctorum Reliquiae conſervabantur; Latino-barbari Scriptores *Filateria*; Franci veteres *Filatieres* dixerunt (*a*) *Aldowrando Regi tranſmittere Filateria curavimus*, ait Epiſtola S. Gregorii Papae (*b*). Earum quaedam minora, majora quaedam; incluſum plerùmque habebant vivificae Crucis fruſtulum. Minora collo appendebantur, ex quo uſu vox ἐγκόλπιον nata, κολπός. n. *ſinus* eſt; a quo, ni fallor, Epiſcopis, auream crucem in ſinu dependentem geſtare ſacris reliquiis refertam, uſu venit. Orientis quoque Imperatores perpetuò Crucem ſinu ferre conſueverunt, & cum domi manerent, & cum contra hoſtes caſtra moverent. Nummos habe-

(*a*) Le Roman de Garin
Ne filatieres, ne Crucifis dorès.

(*b*) Lib. XII. Ep. 7. Hebraeorum Totaphot, & Thephilim Phylacteriorum quoque ſpecies erant. Vid. Spenceri Diſſert. ad libr. de legibus Haebraeorum, Cantabrig. 1727.

bemus eorumdem in quibus *Encolpium* perſpicuè exhibetur. Sed de Encolpiis & Phylacteriis conſulendus Ducangius in Diſſert. XXVI. ad Joinvillam (*a*).

Majora Phylacteria, ad quae noſtrum certè pertinet, in Eccleſiis ſtatuebantur Populorum venerationi. Horum plurima viſuntur adhuc in Occidentalium Eccleſiarum theſauris, ex Oriente adſportata. De duobus verba habet laudatus Ducangius quae in Galliis extant, eaque eruditiſſime, ut ſolet, explicat. Primum publicè proſtat in Grandimontanâ Abatia Lemovicenſi (*b*), de quo diſſeruit etiam Franciſcus Ogerius. Juvat Inſcriptionem ejuſdem hic referre, quum admirandae illae Dufreſnianae Diſſertationes (quod dolendum !) ad manus omnium non ſint. Ita Cruci Inſcriptum eſt.

Βραχὺν ὑπνώσας ὕπνον ἐν τριδενδρίᾳ
Ὁ παμβασιλεὺς καὶ Θεάνθρωπος Λόγος,
Πολλῆς ἐπεβράβευσε τῷ δένδρῳ χάριν.
Ἐμψύχεται γὰρ πᾶς κυρούμενος νόσοις,
Ὁ προσπεφευγὼς τοῖς τριδενδρίας κλάδοις.
Ἀλλὰ φλογωθεὶς ἐν μέσῃ μεσημβρίᾳ
Ἔδραμον, ἦλθον, τοῖς κλάδοις ὑπεισέδυν;
Καὶ τῇ σκιᾷ δέχου με, καὶ καλῶς σκέπε,
Ὦ συσκιάζων δένδρον ἅπασαν χθόνα,
Καί τινα Ἔρμον ἐνστάλαζόν μοι δρόσον,
Ἐκ Δυτικῆς φυέντι καλλιδενδρίας,
Ἧς ῥιζόπρεμνον ἡ Βασιλὶς Εἰρήνη
Ἡ μητρομάμμη, τῶν ἀνάκτων τὸ κλέος;
Ἀλεξίου κρατοῦντος Αὐσονῶν δάμαρ.
Ναὶ ναί, δυσωπῶ τὸν μέν φύλακά μου,
Σὸς δοῦλος Ἀλέξιος ἐκ γένους Δούκας.

Id eſt.

Quùm brevem dormiſſet ſomnum in triplici Arbore
Univerſi Rex, Deus idem ac Homo Verbum,
Multam gratiam impertitus eſt Ligno:
Refrigeratur enim omnis morbis inflammatus
Quicumque confugit ad ramos triplicis Arboris.
Aſt Ego peruſtus in medio meridie
Cucurri, veni, ramos ſubii;
Tu vero umbrâ tuâ ſuſcipe me & pulchrè tege;
O Arbor inumbrans totam terram, Et

(*a*) Pag. 310. Edit. Reg. Pariſ. in fol. 1668. (*b*) *L'Abaye de Gramont en Limouſin.*

Et modicum rorem Hermon mihi instilla,
Qui ortus sum ex stirpe illustri Ducarum,
Cujus stirpis surculus est Imperatrix Irene
Mater Aviae meae, Decus Regum,
Conjux Alexii Romanorum Imperatoris.
Certè veneror te unicum Servatorem meum
Ego famulus tuus Alexius origine Ducas.

Hoc igitur Phylacterium ad Gentem Ducicam pertinuit: Alexius Ducas ab Irene Ducaena Imperatoris Alexii Comneni uxore genus trahebat, quae mater fuerat aviae suae. Vixit ille circa ann. 1166. Dono datum fuit ab Amalrico Rege Hierosolymitano, Priori Grandimontensi Wilhelmo VI. ann. 1174.

Alterum Phylacterium, de quo egit Ducangius, illud est quod in Monasterio Montis S. Quintini in Picardia adservatur. Illud autumant a Nevelone Episcopo ab Constantinopolitanâ peregrinatione redeunte monachos accepisse, imò adhibita conventione cum brachio S. Morandi Aurelianensis, & cum brachio S. Firmini Episcopi & martyris permutasse. Graeco est artificio fabrefactum, encaustico opere in figuris quamplurimis quibus stipatur, quarumquaeque adpositum habet nomen ad latus, perpendiculari lineâ efformatum, ut in Cortonensi Phylacterio. Ejus auctor est Monachus, qui hisce adjectis carminibus ab obscuro emergere loco nititur. .

Οἱ τὸν δὲ προσκυνῦντες εὐσέβει νοῖ,
Καὶ τῷ Λόγῳ φέροντες ὑμνὸν εὐμελῆ
Εὔχεσθε, κἀμοὶ τῷ Μοναχῷ Τιμοθεῷ
Ὅπως γενηταί μοι βοηθὸς καὶ λιμὴν
Ρύσῃς τε τῶν πολλῶ τάχει μῦ πταισμάτω.

Id est:

Vos qui mente pia hoc Sacrum lignum adoratis,
Et Verbo hymnum benevolum offertis,
Orate & pro me Monacho Timotheo,
Ut sit mihi adjutor & portus,
Et me confestim à peccatis meis liberet.

In altero Opusculo hanc eandem Spartam ornavit Ducangius, in Tractatu nempè historico Capitis S. Joannis Baptistae (*a*). In eo in medium profert Crucem Graecanicam litteratam vivificum lignum custodientem, quae

(*a*) Traité Historique du Chef de S. Jean Baptiste par Charles du Fresne Sieur Ducange a Paris 1645. in 4.

quae in *Ambianensi* (*a*) Ecclesia publico cultui exponitur. Haec, ut reliquae, a Constantinopolitanis sacrariis advecta plures orbiculos habet cum nominibus Sanctorum inscriptos, eâ formâ quae in nostra Cruce visitur.

Pleraque igitur, ut vidimus, hujusmodi Phylacteria inscriptiones & carmina prae se ferunt, quae vel possessoris nomen, vel reliquiarum ad noxia averruncanda vim indigitarent. Ex eo genere sunt Carmina illa Nicolai *Calliclis*, Imperatoris Alexii Comneni Archiatri, Phylacterio verae Crucis adposita, quod ad Imperatoris hujus uxorem Irenem pertinebat; & carmina ejusdem in illustrissimae feminae & Poetriae Phylacterio exarata, celebris Annae nempè Comnenae, Alexii & Irenes filiae, quod ab Eudoxia sorore sua dono acceperat, quùm a marito suo separata in Monasterium secessisset. Haec referre supervacaneum duxi, cum *Calliclis* Opera facilè reperiri possint, & praecipuè inter Poetica *Theodori Prodromi*, *Xanthopuli*, & aliorum, edita typis Joannis *Bebelii* anno 1538. in 8. curante Joanne *Hontero* & Hieronymo *Guntio* (*b*).

Veteris alterius Crucis argenteae Schema, à nostro non abludens, cuique inserta est verae Crucis particula, ab Anna Gonzaga Cliniensi, Eduardi Principis Palatini conjuge, monasterio Sangermanensi oblatum, Graecosque versus prae se ferens, Bernardus Montfauconius in sua Palaeographia Graeca explicavit, primumque Mabillonius in medium protulerat in Opusculo suo de Sanctis ignotis. Hoc Manuelis Comneni Phylacterium fuit.

Alterius quoque meminit literatae Crucis praelaudatus Auctor in suo Diario Italico, quae adservatur in Cimeliarchio S. Marci Reipublicae Venetae. Ea inter pretiosiora Irenes Ducaenae, Manuelis Imperatoris Aviae, & Alexii Comneni uxoris fuerat, & CPtanae Ecclesiae dono data est (*c*).

Iconam Graecae Crucis Monasterii Augiensis protulit nuper Magnoaldus Ziegelbaur Ord. S. B. & ejusdem Inscriptionem adjectâ Dissertatione explanavit Dominicus Brichierus Columbus V. C. Habes etiam apud Gruterum Crucem litteratam (*d*) Trajecti ad Mosam extantem, ex auro & gemmis artificiose confectam, in quâ pars de Christi Domini Cruce inclusa. De illa Gretzerus loquitur (*e*), habet loculamenta, Icones octo, & versus Jambos, ut nostra.

Demum in Venetae Reipublicae Lipsano-thecâ aliud videre est ex vera Cruce confictum Phylacterium, cui insculpta Graeca Inscriptio nomine *Mariae* Augustae *Nicephori Botaneiatae* Uxoris condecoratur. Inter

D spe-

(*a*) Cathedralis *d'Amiens* sub invocatione B. M. Virginis.

(*b*) Ducangius hos versus recudi curavit in Notis suis ad Alexiadem Annae Comnenae ad pag. 424.

(*c*) Ejus Inscriptionem a Salvinio emendatam denuò protulit Cl. Gorius in Dissert. de Mitrato Capite Jesu Christi pag. 97.

(*d*) Inscript. Thes. pag. MXLVIII. edit. Amstel. 1707.

(*e*) De Cruce Tom. 3. lib. 4.

ſpectatiſſimas habetur, quae pariter Venetiis extat in Monaſterio S. Michaelis de Muriano, ante XI. ſeculum Crux efficta cum Graecis Characteribus, & figuris Conſtantini & Helenae Augg., cui explicandae operam navavit Anſelmus Coſtadonus in libro illo Goriano, cui titulus, *Crux Dominica*. Florentiae 1749.

Alias Cruces Dominicas à Noſtrâ non abſimiles commemorare longi operis eſſet, nec fortaſſe utilis, & certè faſtidioſi.

Quae adnotavimus, Sapientiſſime Praeſul, tibi ſatis eſſe debent, ut noſtrae Urbis ſors invidiâ digna haberi poſſit, quae tam Sacro, tam pretioſo, tam raro Monumento beata, ut & aliis nominibus clara, inter Italiae ceteras caput extollere jure meritoque poſſit. Vale.

F I N I S.

CL. VIRI

BERNARDI MONTFAUCON

DE CRUCE CORTONENSI TESTIMONIUM.

Philippo Abbati Venuto Amico Suo B. M. S. P. D.

Monumentum Sacrum, cujus Ectypum me inviſens attuliſti, attentis oculis perluſtravi, dignumque publicâ luce cenſui. In Crucis Cortonenſis parte anteriore primo ponuntur ſupra Crucem tres dimidiatae imagines in rotundo limite. Primus in medio ponitur Chriſtus habens a tergo Crucem cum hac Inſcriptione IC. XC. id eſt *Jeſus Chriſtus*.

A dextris Chriſti eſt Angelus Michael cum alis ſuis & hac Inſcriptione ΜΙΧΑΗΛ *Michael*.

A ſiniſtris Gabriel cum alis ſuis & inſcriptione ΓΑΒΡΙΗΛ *Gabriel*.

Infra repraeſentatur Crux, & in ſuprema parte Crucis ad latus dextrum Maria Virgo depingitur cum hac Inſcriptione ΜΡ. ΘΥ. ΜΗΤΗΡ ΘΕΟΥ. *Mater Dei*. Ad latus vero ſiniſtrum S. Joannes Baptiſta cum inſcriptione, quae ita legi debet ὁ Ἅγιος Ἰωάννης ὁ πρόδρομος *S. Joannes Praecurſor*.

In infima Crucis parte ad dexteram repraeſentatur S. Stephanus cum hac inſcriptione ὁ Ἅγιος Στέφανος *Sanctus Stephanus*. Ad ſiniſtram verò S. Joannes Evangeliſta cum hac inſcriptione ὁ ἅγιος Ἰωάννης ὁ Θεόλογος. *S. Joannes Theologus*. Ita ſaepè inſcribitur.

In-

Infra Crucem tres dimidiatae imagines in rotundo limite habentur; quae in medio est Constantinum Imperatorem cum hac inscriptione crucem tenentem repraesentat ὁ ἅγιος Κωνσταντῖνος *Sanctus Constantinus*, ad dexteram ejus est *Sancta Helena* cum hac inscriptione, ἡ ἁγία Ἑλένη, ad sinistram *S. Longinus* crucem tenens cum hac inscriptione ὁ ἅγιος Λογῖνος.

In Crucis Cortonensis parte posteriore duae Inscriptiones ponuntur, quarum prima in medio tabulae habetur, secunda verò ad oram circumponitur. Prima sic legitur Jambicis Versibus;

Καὶ πρὶν κραταιῷ δεσπότῃ Κωνσταντίνῳ
Χριστὸς δέδωκε σταῦρον εἰς σωτηρίαν
Καὶ νῦν δὲ τοῦτον ἐν Θεῷ Νικήφορος
Ἄναξ τροποῦται φύλα Βαρβάρων ἔχων.

Id est;

Prius potenti Domino Constantino
Dedit Christus Crucem ad Salutem.
Nunc quoque hanc (Crucem) *in Deo habens Nicephorus*
Imperator fundit Barbarorum turmas.

Secunda inscriptio ad oram extremam Tabulae.

Ὁ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας Θεοῦ Σοφίας σκευοφύλαξ Στέφανος τῇ θρεψαμένῃ Μονῇ εὐήθης προσφέρει. Id est, *Stephanus Custos Cimeliorum Magnae Ecclesiae Dei Sophiae* seu Sapientiae (hanc Tabulam) *Monasterio quod sibi alimenta suppeditavit in signum grati animi offert.*

Scribebam Parisiis in Monasterio Sangermanensi a. d. 5. Martii 1740.



Ex Aere hujus magnitudinis; litteris, Columnis, & Cruce ex Argento. Lego Θεοῦ Χάρις Γ.... Βοήθει. Gratia Dei NN. adjuva. *Adservatur in Museo Etrusco Cortonensi. Pondus ad hoc accedens habes in Museo Mediceo, a Cl.* Gorio *publici Juris factum.*

FINIS.

DE INVENTIONE ET CULTU VERAE CRUCIS D. N. J. C.

DIATRIBA

ADVERSUS HENRICUM KIPPINGIUM ET ALIOS.

Conſtantiniano aevo Redemptoris Noſtri J. C. Crucem Chriſtianae Reipublicae praeſidium & decus, inventam eſſe, paucis probare ſuſcipimus, ad reprimendam praecipuè quorumdam audaciam qui hujuſce hiſtoriae fidem in ambiguo ponunt, & Crucis cultores perpetuâ notâ erroris adficiunt. Fidenter ſanè, ut ſolent iſti, nec libero judicio, nullâque aliâ ratione moti, praeter quàm quod nulla mentio apud Συγχρόνους Auctores, praeſertim Euſebium Caeſarienſem in Vitâ Conſtantini Magni, de verae Crucis inventione reperiatur. At haec nullius momenti eſſe debere ad evellendam conſtanti ſeculorum ſerie in Eccleſiâ Catholicâ receptam hiſtoriae fidem, nemo eſt qui non videat. *Non omnia*, ait Auguſtinus (*a*), *quae facta ſunt, ſcripta inveniuntur, verumtamen facta eſſe ex caeteris documentis probatur*. Nec tamen auctoritate prorſus deſtituimur; Cyrilli Hieroſolymitani,

(*a*) Epiſt. 108. ad Seleuc.

Ambrosii, Paullini, aliorumque Ecclesiae Patrum opera consulere utcumque ne pigeat, & eorum eam in rem non despicienda habebimus testimonia. Et licet doctorum hominum sententiâ, & praecipue Photio teste (*a*), Oratorio magis more quàm Historico, vitam Constantini conscripserit Eusebius, plurimaque omiserit, quae ad illius praeclara gesta non facerent, idem tamen ipse, aliàs, ut in Commentario ad Psalm. 87. memorat ad Christi sepulchrum perpetrata prodigia his additis verbis: *Εἰ δὲ τις νῦν τοῖς καθ' ἡμᾶς ἀμφὶ τὸ μνῆμα, καὶ τὸ μαρτύριον τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἐπιτελεσθεῖσι θαυμασίοις ἀληθῶς ἐίσεται ὅπως πεπλήρωται ἔργοις τὰ τεθεσπισμένα. Si quis verò apud nos de peractis mirandis circa monumentum & Sepulcrum Salvatoris nostri rectè sciet &c.* Quaenam fuerint haec miracula non ausim adfirmare, licet non dubitet Cl. Montfauconius (*b*) ad eadem ipsa quae a Rufino, Socrate, Sozomeno, & Theodoreto memorantur referre. *Verum*, inquit ille, *hic de miraculis agi quae à Rufino, Sulpicio Severo, Socrate, Sozomeno, & Theodoreto recensentur, ne ambigas.*

Idem Eusebius in Oratione de laudibus Constantini ait, Basilicam ab eodem augustâ munificentiâ extructam ad Christi Sepulcrum, quàm *Ἀνάστασιν*, & *μαρτύριον* appellarunt Sacrarum rerum Scriptores, ornatam deindè, auctamque, non tantùm honoris caussâ, & Christi resurgentis memoriâ, verùm etiam in Divinae veraeque Crucis observantiam. *Καὶ αὐτῷ δὴ τὸ σωτήριον μαρτύριον* (ita saepius Christi Sepulcrum vocat) *οἶκον εὐκτήριον παμμεγέθη, νεών τε ἅγιον τῷ σωτηρίῳ σημείῳ πλουσίως καὶ δαψιλέσι καλεκόσμει φιλοτιμίαις, μνῆμά τε μνήμης αἰωνίου γέμον, αὐτά τε τοῦ μεγάλου σωτῆρος τὰ κατὰ τοῦ θανάτου τρόπαια, λόγου παντὸς κρείττοσιν ἐτίμα καλλωπίσμασι. Ad locum Dominici Sepulcri Basilicam eximiae magnitudinis, & Aedem Sacram in honorem Crucis Servatricis omni magnificentiae genere exornavit, idemque Monumentum Salvatoris, sempiternâ memoriâ dignum, illiusque Tropaea adversus mortem erecta ornamentis quae dici nequeunt insignivit.* Aedes ista ab Auctore Chronici Alexandrini dicta pariter est *Ἐκκλησία τοῦ ἁγίου σταυροῦ, Ecclesia Sanctae Crucis*; Et a Basilio Seleuciensi *Ἐκκλησία τοῦ σταυροῦ, καὶ τῆς ἀναστάσεως, Ecclesia Crucis & Resurrectionis*; ob Crucem procul dubio illic inventam, & praecipuo honore cultam Reparatoris nostri, quae rectè sub illa *mortis Tropaea* potest enumerari.

Quibus coniatis, aequo animo oportet in Cyrilli Hierosolymitani sententiam descendere, qui in Epistolâ ad Constantium Imperatorem Sanctae Crucis inventionem Constantinianis temporibus adsignare non dubitat; & in Cathechesibus suis in suprà laudatâ Ecclesia dictis, & praesertim in Decimâ, ad illa verba; *Unus Dominus Jesus Christus*, plurima mortis Christi argumenta proferens, inter ea locum quoque tenet, lignum vivificae Crucis, in ea Aede adservatum, cujus particulas longè latèque per

(*a*) Cap. 127. (*b*) In praelimin. ad Euseb. in Psalm. c. 7.

pet universam terram à Christianorum pietate adsportatas testatur : Τὸ *ξυλον τὸ ἅγιον τῦ σ͂ταυρῦ μαρτύρει, μέχρι σήμερον παρ' ἡμῖν φαινόμενον, καὶ διὰ τῶν κατὰ πίστιν ἐξ αὐτῦ λαμβανόντων, ἐντεῦθεν τὴν οἰκυμένην πᾶσαν σχεδὸν ἤδη πληρῶσαν. Lignum Sanctae Crucis testis est, quod ad hodiernam diem apud nos apparet, & quod per illos qui fidem ab eo* (ligno) *acceperunt, hinc universum ferè orbem replevit.* Et in Cathechesi XIII. Ἐλέγχει με τῦ σταυρῦ τὸ ξύλον τὸ κατὰ μικρὸν ἐντεῦθεν πάσῃ τῇ οἰκυμένῃ λοιπὸν διαδοθέν. *Id mihi probat Crucis lignum, quod hinc in posterum universo Orbi sectim traditum est.* Et in Cathech. IV. Καὶ τῦ ξύλυ τῦ σταυρῦ πᾶσα λοιπὸν ἡ οἰκυμένη κατὰ μέρος ἐπληρώθη. *Et ligno Crucis tota deinceps universa terra ubique repleta est.* Scio equidem nonnullos vim auctoritatis tanti ponderis elusuros loca haec in Catechesibus Cyrillianis interpolata adsutaque recentiori manu existimasse; & uti apocripham ad Constantium Epistolam reiicere. In eâ enim Jesu Christi Crucem Constantini temporibus repertam luculenter scribitur, & de mirificâ apparitione rutilantis Crucis supra Hierusalem sermo est, de quâ & Sozomenes cap. 4. lib. 4. Sed non est hic locus, nec tanti, eorum futiles conjecturas & tentamina obtundere, quùm hoc latè egerint eruditus Vir Natalis Alexander ad IV. Hist. Ecclef. seculum (*a*), & Ellies Dupin, & Thomas Milles, & Guillielmus Cave. Operae pretium tamen est verba referre Guillelmi Lowth, Calvinianae Religioni addicti hominis, in Notis suis ad Socratis lib. 1. cap. 17. quibus ille indubiam Constantiniano aevo Sanctae Crucis inventionem, licet tacente Eusebio, pluribus adserit : *Haec*, inquit, *historia de inventione Sanctae Crucis non occurrit apud Eusebium in loco huic parallelo lib. 3. de vita Constantini cap. 28. Verum Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus, qui eodem seculo vixit, aperte testatur lignum Sanctae Crucis Imperatori Constantino divinitus ostensum, in Epistola ad filium ejus Constantium; item in Cathechesi de ejus inventione loquitur, ut de re omnibus notâ, quocircà de historiae hujus fide dubitari non potest.*

Helenae Augustae Constantini matri datum caelesti suffragio Dominicae Crucis thesauro potiri, cuicumque Christifidelium perpetuâ traditione compertum est. De illa pientissima Imperatrice haec ait Eutropius: (*b*) *Salvatoris verò Crucis partem quidem aliquam filio distribuit, quàm Constantinus suscipiens, & credens salvari Civitatem ubi haec particula servaretur, in suâ statuâ* [*sicuti fertur*] *in foro Constantini positâ, super Columnam Porphireticam devotè condidit, reliquam verò partem in argenteâ thecâ clausam, Macbario Sacerdoti Civitatis reliquit, & undique congregans artifices, maximas illi ornatasque Ecclesias aedificavit.* Devotum hocce munus Helenae Augustae memorat quoque Divus Ambrosius in morte Theodosii (*c*). Quibus addere possem decantatam illam S. Ligni multi-

(*a*) Cap. 6. art. XII.
(*b*) Lib. 2.
(*c*) Oper. T. V. Concion. 3.

tiplicationem ex adſertione D. Paullini, & ſupralaudati Epiſcopi Hieroſolymitani; verùm haec impiis perditâ operâ obiiciuntur, piiſque Dei in mirandis omnipotentiam in dubium revocare grande nefas.

Vani igitur Henrici Kippingii conatus, qui in Diatribâ de Cruce contra Baronium & Spondanum lib. 2. cap. 8. Antiquit. Romanar. Sulpicii Severi de Crucis ſub Conſtantino inventione teſtimonium (*a*) funditus contendit evertere. Nec illum movet tantorum Eccleſiae Catholicae Patrum pro nobis ſuffragium; illo quippè nititur debili argumento, nos interrogans, quo fit, quòd veteres illi Chriſtianae fidei primogeniti *Crucem in pretio non ſervaverint; nam Judaei qui honeſto Sepulchro non prohibuerant Servatoris corpus, id non vetuiſſent*. Ad ea ſiquidem reſpondemus, quod licet de hoc ſileant Scriptores, erroris reprehendendus non eſſet, qui in Joſephi & Nicodemi poteſtatem veniſſe cum Chriſti corpore, Crucem etiam, & cetera mortis ſuae inſtrumenta exiſtimaverit; ita ut poſt Chriſti triumphum in monumenti fornice repoſuerint; quo loci ea omnia, ex Socratis, Sozomeni, & Theodoreti ſententiâ, inventa dein eſſe feruntur: Nec immerito priores illi Chriſtiani magnâ curâ ſervarunt, aedificata ad Chriſti monumentum Aede, utpote Reſurrectionis Domini noſtri illuſtre *μνημόσυνον*. Ex eâ pariter cauſsâ ſub Hadriani Imperatoris aetatem loci illius ſanctiſſimi ab Ethnicis procurata pollutio eſt, extructâ ibi & dedicatâ Veneris Aede; exiſtimantibus eo pacto Chriſtianorum obviam ire (quae erat eorum nox!) ſuperſtitioni, an rectius Pietati & Divino egregio cultui, qui cum erga Chriſti Sepulchrum adeò tenax, nulloque tempore interruptus habeatur, à vero abſonum non eſt Crucis etiam Tropaeum parili ſtudio ſervatum, parilemque illi cultum adhibitum.

Memoratus Euſebius, lib. 3. geſtorum Conſtantini Max. idemque Imperator in Epiſtola Machario Hieroſolymitano Epiſcopo datâ (eidem, ni fallor, de quo ſuprà Eutropius) Divinae Providentiae prodigium rentur, Chriſti Coenotaphii permanens integrumque Opus, adversùs Inferorum aſtus & Paganorum rabiem ad ea uſque tempora ſartum tectumque, quibus *Orbi Chriſtiano Pax reſtituta eſt;* ſibique non injuriâ gratulantur quod feliciter fortunatèque eâ aetate quaeſitum fuerit, & ſub tantâ prophanae Aedis ruderum terraeque illapſae congerie repertum: quod ſi eâ curâ, tantoque portentorum pretio conſervatum Coenotaphium patet, cur dubitandum idem in Crucis Dominicae favorem non factum, a quâ *pretium pependit Saeculi*? Traditio ſiquidem de poſteriori Crucis inventione tanto Patrum conſenſu comprobatur, ut de ejusdem exiſtentia dubitandi locus nullatenùs remaneat.

Cruces verò vel depictas vel inſculptas, ex antiquiſſimo in Eccleſiâ ritu ſexcentis monumentis, etiamnùm exiſtentibus comprobato, à primoribus

(*a*) Lib. XI. hiſt. Sacrae cap 48.

ribus etiam Christifidelibus cultas facili negocio demonstrarem (nam de sequioribus nec isti ipsi mirifici σταυρομάχοι inficiantur) si quidquam me apud Magistrorum in verba juratos profecturum sperarem. Probationum vim omnem eludere sese existimant, advocato Minutii Felicis testimonio apertè declarantis: *Cruces nec colimus, nec optamus*. Quae verba licet aequiùs interpetrari possint de cultu Deo Opt. Max. tantùm proprio, liceat interrogare, quò fit, si Cruci à prioribus Christianis cultus nullus adhibitus, quòd apud eundem Minutium Pagani illos de hoc ipso interpellarunt? Cui hostium objectioni licet vel cautus nimiùm, vel non benè doctus Romanus Patronus respondeat, *Cruces nec colimus, nec optamus*, & veluti calumniam earum cultum reiiciat, rei Christianorum ex ceterorum sui temporis fidelium sententiâ haud rectè consuluit; siquidem Tertullianus, qui Minucium aetate praecesserat, rem non ratus obvelandam, hunc cultum apertè professus est, & pro virili, variis additis in id argumentis, ab osorum calumniis non abnuit eximere. *Sed qui nos Crucis Antistites adfirmat* (ait Scriptor eloquentissimus lib. 2. ad nation. cap. XII.) *consectaneus erit noster. Crucis qualitas signum est de ligno, etiam de materia colitis penès vos cum effigie. Quanquam sicut vestrum humana figura est, ita & nostrum sua propria. Viderint nunc liniamenta dum una sit qualitas, viderint formam dum ipsum sit Dei corpus. Quod si de hoc differentia intercedit, quanto distinguitur a Crucis stipite Pallas Attica & Ceres Pharia, quae sine forma, rudi palo, & solo staticulo ligni informis repraesentatur* (*a*). *Pars Crucis & quidem major, est omne robur quod de rectâ statione defigitur. Sed nobis tota Crux imputatur cum antennâ scilicet suâ, & cum illo sedilis excessu* (*b*). *Hoc quidem vos incusabiliores, qui mutilum & truncum dicastis lignum, quod alii plenum & structum consecraverunt. Enimverò de reliquo integra est religio vobis integrae Crucis, sicut ostendam. Ignoratis autem originem istam Deis vestris de isto patibulo provenisse .... Crucem igitur consecratis á qua incipitur consecratus .... Victorias ut numina, & quidem augustiora, quanto laetiora veneramini, Cruces erunt quodammodo intestina Tropaeorum. Itaque in Victoriis & Cruces colit Castrensis Religio, Signa adorat, Signa dejerat, Signa ipsi Jovi praefert. Sed ille Imaginum suggestus, & totius auri cultus, monilia Crucum sunt.* (*c*) *Sic etiam in Cantabris atque Vexillis, quae non minori sanctitate militia custodit, Siphara illa vestes Crucum sunt; erubescitis, opinor, incultas & nudas Cruces colere.*

Quis

(*a*) Ceres Pharia & Diana Ephesia saepe in nummis visuntur cum verubus hujusmodi & substentaculis, quod Antiquariorum filiis apprimè notum est.

(*b*) Vidimus plures antiquissimas Christi Crucifixi imagines in quibus hujusmodi sedilis excessus adparet.

(*c*) Haec item vexilla in nummis Imperatorum videre est & in Romanis Columnis.

Quis paullò oculatior ex hoc loco non hauserit veteres Christianos Cruces passim & sine verae Religionis labe coluisse? Cultus a Paganico plane distinctus; quod idem Minutius Felix in hoc, uti & in plurimis Tertulliani haud parcus expilator, fateri aliàs non erubuit. *Vos plane*, inquit ille, *qui ligneos Deos consecratis, Cruces ligneas ut Deorum nostrorum partes forsitan adoratis; nam & Signa ipsa, & Cantabra & Vexilla Castrorum quid aliud quàm inauratae Cruces sunt ornatae? Tropaea vestra victricia non tantùm simplicis Crucis faciem, verum & affixi hominis imitantur. Signum sanè Crucis naturaliter visimus in Navi, quùm velis tumentibus vehitur, quùm expansis palmulis labitur, & quùm erigitur jugum, Crucis signum est. Et quùm homo porrectis manibus Deum purâ mente veneratur. Ita signo Crucis aut ratio naturalis innititur, aut Religio vestra formatur.* Quemadmodùm igitur inferiùs in eodem Dialogo Octavius Christianus Caecilio Ethnico adseverat tum temporis Christianos nec templa, nec Aras, nec Sacrificia habuisse, eo sensu quo ea omnia ab Ethnicis intelligebantur; ita ejusdem verba de negato Cruci cultu accipienda sunt; perspectum quippè est ac plane cognitum primores Christi adseclas Aras Deo supremo plurimas statuisse, illique Sacrificium incruentum per Eucharistica Mysteria obtulisse, tùm ex quamplurimis antiquissimis monumentis enascentis Ecclesiae, tùm ex testimonio Ignatii, Irenaei, Clementis Alexandrini, Tertulliani, Origenis, & Cypriani, aliorumque veterum Ecclesiae Patrum. Hinc probamus Minucium interpretandum eadem ratione quùm Cruces negat à Christianis veneratas, uti quùm Aras & Sacricia apud Christianos in usu fuisse inficiatur.

Nec fortassè à veri specie alienum esset sibi persuadere praefatis verbis Minucium ab horrenda calumnia Christianos absolvere voluisse, cujus eos Ethnici non semel insimularunt, adserentes eos Cruces promiscuè omnes, & Cruci damnatos religioso cultu prosecutos. Quid enim? nonne hujusmodi jurgii meminerat prius Origenes lib. 2. contra Celsum? *Quâ in re*, ait ille, *Celsus idem facit quod inimicorum nostrorum vilissimi, qui legentes Crucifixi Jesu historiam, colligunt indè, nos venerationem exhibere in Crucem actis omnibus.*

Atque his egregie consentit apud eundem Minucium Caecilius qui adversariorum nostrorum partes tuetur, dùm inter ambigua legitimisque argumentis destituta cultum quoque Christi è Cruce pendentis, & Crucis ipsius enumerat. *Est qui hominem*, inquit, *summo supplicio pro facinore punitum, & Crucis ligna feralia, eorum* (Christianorum scil.) *coeremonias FABULATUR: congruentia perditis sceleratisque tribuit Altaria, ut id colant, quod merentur.* Sed Christum Cruci affixum ejusdem adseclas coluisse perpetuò, figmentum aut *fabula* non erat; verum res cunctis patens, sexcentorumque Martyrum adsertione conspicua: non hunc igitur cultum justum aequumque prae oculis habuisse eo in loco Caecilium statuendum est, sed fabulam de quâ citatus Origenes, impudentiorum hominum

opus


opus & figmentum; Chriſtianos ſcilicet divino cultu proſequi eos omnes, quos flagitia malaeque artes in Crucem egiſſent. Quam profectò infamem calumniam refellens poſtmodum Octavius in eodem Dialogo eadem ratione negat Chriſtlanos promiſcuè Cruces omnes *colere & optare*, quâ negaverat in Crucem omnes actos venerari. *Nam quod* (ait ille) *Religioni noſtrae hominem noxium, & Crucem ejus adſcribitis, longè de viciniâ veritatis erratis, qui putatis Deum credi, aut meruiſſe noxium, aut potuiſſe terrenum. Nam ille miſerabilis, cujus in homine mortali ſpes omnis innititur . . . . Aegyptii ſanè hominem ſibi quem colant eligunt, &c.* Non equidem, inquit hic Octavius, homines adoramus, multòque minùs eos, *quos noxa in Crucem egit;* at illum Θεάνθρωπον, pro generis humani ſalute devotum, Crucique adfixum praecipuo cultu proſequimur; cùmque ſubdit, *Cruces nec colimus, nec optamus*, Cruci illi ſalutari Divino madefactae ſanguine cultum adimere voluiſſe minimè adſerendum, ſed ſceleratorum ſervorum patibulis tantùm.


Plura in hoc argumentum poſſem congerere; ſed ne à pluribus, iiſque doctiſſimis Eccleſiae Scriptoribus actam rem agam, prudens abſtinebo. Quae raptim hactenùs exaravi, non abſona credidi parerga Explicationis Graecae, quam ſuperiùs edidi, Inſcriptionis Sacri Phylacterii, in quo Crucis Dominicae pars non exigua adſervatur Cortonae, ne ab illius cultu fideles arcendi ſit locus, penès eos praecipuè, qui quorumdam auctoritati verbiſque minus Catholicè differentium hac noſtrâ aetate facile nimiùm adquieſcunt.

MONITUM.

QUae addidimus Ornamenta huic noſtrae Opellae, è ditiſſima Marchionis Franciſci Victorii Romani Gazâ deprompta eſſe ſciar. Excipe tamen Litteram primam, quae Explicationis Cortonenſis Crucis caput facit, quae ex Gemmâ Chriſtianâ Cl. Baronis de Stoſch depicta eſt, & Chriſti Monogramma prae ſe fert, additis Anchora & Delphino. Gemma, in qua Virgo Deipara inſculpta viſitur, adjectis Graecis Characteribus; item & Vitreus Ectypus antiquus, in quo Agnus Crucifer adparet, diſertiſſime, ut ſolet, explicantur a non ſatis laudato Victorio, in ſuo Typis Romanis edito Libello: De Nummo AEreo Chriſtiano, &c. *Haec ut Lectoris commodo conſulerèm non reticenda eſſe cenſui.*

CRVCI.




Φ
V
Λ
A
C